




**S**icut harum depositio-  
 num falsitatem authenticis  
 quamprimum documentis  
 demonstrare poterant PP. S.  
 J. Collegii Col. Ita non censebant sche-  
 diasma istud refutatione dignum hac præ-  
 ter cæteras de causa : quòd si PP. S. J. tam  
 enormium criminum convinci possent,  
 eos de possessione centum quinquaginta  
 annorum jam dudum dejicere tentâssent;  
 ac etiamnum attentarent Adversarii cor-  
 ràm competente NB. Judice. Nam spar-  
 gere tam infamia in vulgus , & variis  
 in & extrâ Urbem in impresso cum  
 plausu distribuere , ad quos causæ co-  
 gnitio nullatenus pertinet , ad quid ser-  
 vit ? Nisi ad exulceratum animum de-  
 monstrandum , invidiam Societati con-  
 citandam , & ora omnis generis , ac  
 statûs hominum implenda. Quòd Re-  
 ligiosi Forum & Judicem competentem  
 declinando impressis foliis religiosos  
 convitiis onerent , & coram Orbetoto  
 atrocissimorum scelerum reos pronun-  
 tiant. Maluerunt itaque Patres S. J. in  
 silentio & charitate ista omnia dissimu-  
 lare hætenus , & Schediasma istud se-  
 reno animo , iisdemque aspicere oculis,  
 quibus tot libellos famosos , quorum

stylum livor exacuit , jam à sui ortu  
 usque huc aspexit Societas , & æmulo-  
 rum compassa est infirmitati. En cau-  
 sam moræ in respondendo ! quam eò  
 æquiorum esse prudens Lector judicabit,  
 quò magis considerare volet librorum  
 & libellorum diffamantium , maximè  
 ubi forum competens negligitur , scri-  
 bendorum nullum esse finem. Caterùm  
 cuilibet fundamenta causæ nostræ pon-  
 deranti facilè incidet , primo quoquo  
 tempore ea , quæ nunc typo damus in-  
 viti , potuisse luci publicæ exponi ac  
 erisi. Quia ergò in conviviis usque ad eò  
 ac circulis etiamnum frequenter spar-  
 gitur : Jesuitas vim ac robur depositio-  
 num illarum extraordinariarum elidere  
 non posse ; variique Parochi , ac Reli-  
 giosi ex locis usque ad eò diffusi , &  
 voce & calamo nobis retulerant , cum  
 magno strepitu , ac insultatione eas  
 quaqua versum obtudi. Dein viri in  
 dignitate constituti necessarium omninò  
 esse judicarunt , etiam in bonum spiri-  
 tuale proximi , ut & nostra , & majo-  
 rum nostrorum fama vindicaretur , &  
 simul authentica quædam noticia de Mo-  
 nasterio olim S. Achatii Lectori avido  
 communicaretur : coacti tandem des-  
 cendimus in arenam. Nam juxtà illud  
*Cypriani contra Demet. sub init. Ultra*  
*jam tacere non oportet , ne jam non ve-*  
*recundia sed dissidentia esse incipiat , quod*

*racemus : Et dum criminationes falsas contempnimus refutare ; videamur crimen agnoscere.*

Porro ut ad captum cujusvis nos accomodemus, clareque ac ordinatè procedamus : Ostendemus stylo plano & facili ex documentis authenticis archivii nostri : *Cap. I.* Quæ circa emptionem, ac venditionem Monasterii Monialium Sancti Achatii, ejusdemque à PP. S. J. Coloniensibus captam possessionem contigerint. *Cap. II.* demonstrabimus in genere, quàm illegale multis ex capitibus sit instrumentum quoad depositiones illas extraordinarias, & nihil probet. Item quàm improvidè ac incautè egerit schediastmatis istius promulgator. *Cap. III.* Ad singula depositionum istarum extraordinariarum puncta accuratè, tum brevius, tum fusiùs (prout ad plenam Lectoris informationem rei substrata materia exiget) respondebimus. *Cap. IV.* Ad notabile illud **NOTA F. Gisberti, Prioris**, congrua notamina, id ipsum ad æquam lancem expendent, adjiciemus ; semper stylo tali è quo quis prudens conjicere possit, quòd amore veritatis, & communis ædificationis, seriò quidem, sed absque mordacitate & calumniis loquamur, habentes semper antè oculos memorabile illud dictum S. Hier. Ep. 11. *In Paralip. libro legitur, quòd filii Israël ad pugnan-*



*dum processerint mente pacifica, inter ipsos quoque gladios non suam, sed NB. pacis gloriam cogitantes.*

Unum te monere debeo, amice Lector! quod rædii ac confusionis vitandæ causâ subnexuri sumus, Cap. V. Diplomata Pontificia, aliaque & adeo Alphabeticis literis ac numeris distincta per contextum te remissuri, ut quid statuendum sit maximè quoad substantialia controversiæ, de qua agitur, commodius discernere possis. Cætera ut plenior fidem inveniant suis locis, authenticis testimoniis, muniamus.

## C A P U T I.

*Ostenditur ex legitimis documentis: Quid circa emptionem, ac venditionem Parthenonis Achatiani actum sit, ejusdemque possessionem contrigerit?*

I. **C**ontentiones quædam ortæ fuerant inter Moniales ad S. Achatium; quas dum ex commissione Reverendissimi Domini Vicarii Generalis (ut praxis obtinet in Monasteriis Ordinario subjectis) deputati Commissarii Reverendissimi Domini Gropper, Metropolitanæ ædis Canonicus, & respectivè Scholasticus ad S. Gerconem; item Conradus Wippermann, Decanus ad S. Severinum, & Præpositus Susatensis tentatis